



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Gregorius Nazianzenus. 9. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

9. Maii.

**G**REGORIUS à patriâ NAZIANZENUS, ab eruditione postea THEOLOGUS dictus, cum studiorum causâ Athenas peteret, gravi tempestate jactatus, proximè ultimum vitæ discrimen fuit. Quis credat? quò felicitatis venti secundi nunquam tulisset, adversi tulerunt. Cum enim vovisset, si ex his undis emergeret, sanctioribus Baptismi aquis caput mergendum, & vitam inter Religiosos acturum, illico cælum arripit, & damnatus voti GREGORIUS navim non tam ad terram, quam ad cælum appulit. Porrò Athenis commoranti uno eodemque tempore & castitas & sapientia visendam se dederunt, & amanti ambæ lubentes nupserunt, puto ut arguerent juventutem nostram, quæ sine animi puritate sapientiam ducere necquicquam allaborat. Exinde ut in studiis, & legibus monachorum condendis, ita etiam in bello contra Arianos Magno Basilio socius fuit; ausus in ipsum Julianum, in quo adolescente etiamnum Athenis tyrannum latere edixerat, palàm & scribere, & dicere, sarrivientis vulgi & saxa in se conjicientis clamores velut plausum accipiens. Sed & Pontifex jam Byzantinus sicario, ab hæ-

re-

10. Maii. VITÆ SANCTORUM. 299  
reticis in necem suam subornato, facilis  
veniam edidit: post tamen gravibus ite-  
rum seditionum fluctibus agitato, mis-  
sa urbe ac infula, in villula patria mala-  
ciam, in morte denique anno CCC.  
LXXXIX. portum reperit. Ex Greg.  
Presb. apud Syr.

*Cordis contritio optimum est ad percipien-  
dam munditiam medicamentum. Mox ut  
germinare inchoaverint fœda cogitationes,  
compunctionis gladio interimat ipsas, qui  
cordis sui Christum cupit habere possesso-  
rem. S. Laur. l. de cast. Connub. c. 13.*

SS. GLYCERIA & LAODICIUS MM.

10. Maii.

**G**LYCERIA Macarii III. Consulis F.  
sexus sui miraculum, utriusque ex-  
emplum, Antonini imperio Trajanopo-  
li & Heracleæ triumphavit. Lampodo-  
phoria celebrantibus impiis, ipsa fron-  
tem cruce insignita in publicum prodiit,  
negavitque alia lampade sibi opus esse,  
cum crucis radios nec ipse quidem Ju-  
piter marmoreis oculis laturus sit. Fe-  
cit dictis fidem comminuta extemplo  
statua, neque ad vindicandam injuriam  
satis potens, cum frustillatim in G L Y-  
C E R I A M jactaretur, trepidantibus frag-  
mentis munitam cruce Heroidem con-  
tingere. Ferocior tamen Jove suo Sa-  
binus præses fuit; & è coma pendu-  
lam